UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria II. post Dom. II. Quadragesimæ. 11. Licet peccator aliquis in malo habituatus semper salvari possit, attamen difficile est, ut salvetur & non potius in peccato moriatur. 2. Peccatum enim quia ...

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

*Saul percunctante cognato ſuo Abenaro, quomodo ſucceſſiſſet peregrinatio, nihil celavit, de regno tamen tacuit, quamvis enim & amicus eſſet, & cognatus, tutius & conſultius arbitratus eſt ſilentium ſervare.*

13. Vltimo tandem loco eandem ſecreti cuſtodiam ab exemplo Salvatoris noſtri vos edoceri cupio. Quando juvenculam illam à
Luc. 15 mortuis ſuſcitare voluit; de qua S. Lucas loquitur, dicit ſacer textus: *Non permiſit intrare*
Theophyl. *ſecum quenquam niſi Petrum, Iacobum & Ioannem.* Cur obſecro hos præſentes eſſe voluit, & non alios? Theophylactus reſpondet: *Nole-*
D. Thom. *bat enim hoc miraculum ante tempus revelari*
in Cat. ibi. *multis?* atque ideo hos tres ſecum vocavit, *ut diſcipulos præcipuos & taciturnos.* Et S. Thomas ſubjungit: *potentes occultare ſecretum;* Quaſi de aliis hanc ſuſpicionem habuiſſet, illos idipſum fuiſſe revelaturos. *Aſſumpſit hos velut magis taciturnos & ſilere valentes*, inquit Theophylactus. Atque ob eandem rationem illos in montem Thabor adducit; quia cum ibi de negotiis ſeriis gravibus agendũ & tractandũ fuerit, ſiquidem *loquebantur de exceſſu quem completurus erat in Ieruſalem*, ideo omnia ſub ſecreto ſervari voluit, dicens: *Nemini dixeritis viſionem*, atque ideo convenientiſſimum eſſe judicavit, plures ſecum non aſſumere quam tres ſæpe nominatos, Petrum, Iacobum, & Ioanem. Demum verò per ſequentem hiſtoriam præſentem diſcurſum ſtatui concludere: De Fulvio namque Plutarchus ſcribit, eum ſecretum aliquod Auguſtum concernens conjugi ſuæ concrediddiſſe, quæ mille annos eſſe credebat, donec ſequentis diei diluculum illuceſceret, ut idem ſecretum aliis mulieribus communicare poſſet? Hac autem Fulvii infidelitate ad aures Imperatoris delata, confeſtim Fulvium gratia ſua excluſum, ab aula ſua pariter dimiſit. Cumque eam ob rem in graves cum conjuge ſua controverſias redactus fuiſſet, ipſa ei reſpondit; ſi nolebas hoc ab omnibus paſſim ſciri, mihi quoque à te non debebat revelari.

# SERMO XI.

# IN FERIAM II.

## DOMINICÆ II.

## QVADRAGESIMÆ.

*Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini:*
Ioan. cap. 8.

IDEM ille Deus [ô Roma] qui dum propter culparum noſtrarum gravitatem iratus, pœnarum rigores clementiæ fræno ſemper retardat, hodierna tamen die videns, quod dum Hebræis fidem Evangelicam perſuadere conatur, & ad hoc ut ipſum tanquam verum Meſſiam agnoſcere valeant, ſua operatur coram ipſis miracula, in vanum laborando operam ſuam perdat, ſapienti conſilio eoſdem deſerere decrevit, ſolum pariter & regionem mutando: *Ego vado*: Et quidem licet illum poſtea ſe quæſituros eſſe dicat, id tamen non facient, gradiendo poſt illum greſſibus pietatis, ut generalem ab ipſo impetrare poſſint errorum commiſſorum remiſſionem, ſed perfidiæ paſſibus illum ad mortem uſque perſequendo: *Quærens non pro deſiderio, ſed odio*; inquit Sanctus Auguſtinus. In ipſo autem momento quo ab illis abiturus erat, turbata facie ad eoſdem converſus, ſolitæ felicitatis comminando iactu*ram*, æternam pariter animarum ſuarum dam-

damnationem eis ſerio prædicit, idque tremendis hiſce, licet pauculis verbis: *In peccato veſtro moriemini*, quæ, ut Euthymio videtur, *connotant cauſalitatem*; quaſi dicere vellet, peccatum eſt cauſa efficiens, unde omnes miſeriæ veſtræ unicam ſuam ducunt originem, & ideo *In peccato veſtro moriemini*, id eſt, propter peccatum veſtrum moriemini. Ex mente vero Sancti Auguſtini *In, dicit concomitantiam*, id eſt inſeparabilem quandam peccati & animæ connexionem uſque ad mortem. Porro utraque expoſitio veriſſima & optima eſt, quia ſunt nonnulli qui moriuntur in peccato *cauſaliter & non concomitanter*, quia ex quo cœli terræque leges offenderint & violaverint per manum divinæ juſtitiæ vita animæ exuuntur, & propter peccatum moriuntur, non tamen moriuntur in peccato, quia cum poſt peccatum commiſſum priuſquam moriantur ſe convertant pœnitentiam. & veram in ſe eliciunt contritionem, moriuntur quidem propter peccatum, ſed non cum peccato, ſed in gratia Dei. Alii vero moriuntur in peccato concomitanter & non cauſaliter, & hi ſunt infelices illi homines, qui *ab ipſa morte præventi & præoccupati*, ut ait Origenes, ultimam vitæ ſuæ horam claudunt, idque cum voluntate ipſi malo tenaciter adhærente, ſive cum inſenſibili actionum peccaminoſarum complacentia, ad alteram vitam impœnitentes & obſtinati tranſeuntes: Multi denique moriuntur in peccato *ſimul & ſemel cauſaliter & concomitanter*, id eſt propter peccatum & cum peccato, quales fuere ſceleratus populus Pentapolitanus, vel etiam ii qui actualiter cum mulieribus Moabitarum peccantes à Phinees occiſi fuerunt: Pharao itidem, Baltaſar, Abſalon, Judas, & alii, de quibus cum S. Gregorio dici poteſt: *Horum unam fuiſſe pœnam quæ incipit in hoc ſæculo per mortem temporalem & continuatur in altero per æternam.* Porro nemini dubium eſt, quin tam is morietur, qui propter peccatum moritur, quam is qui moritur cum peccato, attamen mori cum peccato incomparabiliter majus malum eſt, quam mori propter peccatum, ſed ſine peccato, hic enim unica duntaxat morte moritur, corporali videlicet, cæterum quoad animam manet in gratia Dei, & ſalutem æternam obtinet, quam ei alias peccatum ſuſtuliſſet, ſi cum peccato mortuus fuiſſet; qui autem cum peccato moritur, licet propter peccatum non moriatur, duplici tamen morte moritur, corporis ſcilicet & animæ, & cum majori damno & jactura moritur, quam ſi propter peccatum moreretur, quia moritur conſtitutus extra gratiam Dei, tanquam inimicus Dei, Deo privatus & à Deo ad mortem quandam æternam, quæ irreparabilem poſt ſe trahit perditionem, condemnatus; de qua morte Beda loquebatur, dum ait: *Tota infelicitas ipſa eſt non peccatũ habere, ſed in peccatis mori. hoc eſt, quod debet fugere Chriſtianus* Hæc quoque eſt mors illa, quam Chriſtus Redemptor noſter in hodierno Evangelio perfidis Hebræis vaticinatus eſt, dicens: *In peccato veſtro moriemini*: quod in ipſis *utroque modo* verificatur; primo quidem *cauſaliter*, cum peccatum ipſorum origo ſit totius ruinæ iiſdem quondam ab Iſaia Propheta vaticinatæ, dum ait: *Numerabo vos in gladio, omnes cæde corruetis, quia vocavi & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis* Unde Carthuſianus ait: *Propter peccata veſtra perfidiæ & perſecutionis in me occidemini à Romanis, quemadmodum factum eſt tempore Titi & Veſpaſiani.* Secundo verificatur *concomitanter, nempe cum veſtro peccato, nulla obtenta remiſſione aut venia moriemini*; ut explicat S. Pat N. Auguſtinus. Peccatum enim quocum in vita confœderati fuerunt, ad mortem uſque imo poſt mortem illos comitabitur Unde optima mihi ſuggeritur occaſio perſuadendi vobis, ut peccatum fugiatis, non propter damnum, quod in hac vita vobis conciliare poteſt, quod reſpectivè modicum malum cenſendum erit, ſed quia vivendo in peccato *concomitanter tanquam obdurati in malo*, adeo vobis difficile erit ab eodem vos peccato eximere & liberare, ut quaſi, ut ita dicam impoſſibile eſſe videatur, ut proinde vos cum peccato mori, & æternæ mortis condemnari oporteat: *In peccato veſtro moriemini.* An hæc vobis promiſſa materia futura ſit utilis, vos tanquam æqui arbitri judicabitis, ut tamen utilis vobis fiat cum attentione pariter & devotione eandem ſollicitè auſcultetis

2. *In peccato veſtro moriemini* Quiſquis in peccato vivit, *& firmiter adhæret ejus delectationi indebitæ, & deformitati actus cũ propoſito, ſeu per*-

Marginal notes: Euthym. — D. Auguſt. — Origen. — D. Tho. fol. 1037. — D. Greg. — Beda in cap. 8. Ioan. fol. 80. col. 1. — Iſa. 65. — Dio. Carth. — D. Auguſt. — Dio. Carth. ibi. — D. Tho. in 2. diſt. 43, q. 1. art. 3. f 144. col. 3. l. H.

*ſinaciæ non pœnitendi*, idem ut docet Doctor Angelicus, dicendus eſt in malo obſtinatus, & committit quandam peccati ſpeciem, quæ à Theologis appellatur, peccatum *in Spiritum Sanctum*, & eſt irremiſſibile, non quod remitti non poſſit, quantum eſt ex parte DEI;

*Idem ibid. a 3. f. 145. col. 2. l. B.*

ſed quia *non habet de ſe aptitudinem ad hoc quod remiſſibile ſit*. Enimvero difficultas quædam hic mihi ſubnaſcitur circa doctrinam Magiſtri ſententiarum qui ſcribit in libro ſecundo, quod mali & reprobi adeo ſint in malitia ſua obdurati *ut fieri boni, & ſurgere ad bonum non valeant*:

*Pet. Lomb. in 2. diſt. 7 l. B f. 149.*

Cum tamen econtra in diſt. 45. doceat, quod *de quocunque peſſimo in hac vita conſtituto non eſt deſperandum*: juxta doctrinam Concilii Tridentini, quod determinat, quod quilibet peccator *poteſt à peccato reſurgere*.

*Idem diſt. 43 l. C f. 238 Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 29.*

Quo modo autem hæ duæ propoſitiones, quæ ſibi mutuo eſſe videntur adverſæ conciliari poterunt? maxime ſi hunc in modum formemus argumentum: In tantum ſalus alicujus peccatoris non cenſetur deſperata, *in quantum poteſt reſurgere*: Ergo ſi talis peccator reſurgere nequeat, quomodo de ejus ſalute non poterit deſperari? Multæ quidem ad hoe adduci poterunt reſponſiones Primo, quod in primo loco de Angelis rebellibus loquatur, qui bonum oderunt & amant malum; & in hoc habent *cor induratum quaſi lapis*: In ſecundo loco autem agit de hominibus, in quantum ſunt viatores, qui licet ad malum declinent, ab eo tamen pœnitendo revocare ſe poſſant.

*Mag. ſent. lib. 2. diſt. 43 f. 237. co. 2 l. B. in fine.*

Vel tametſi in utroque loco de homine loquatur, intelligendus tamen erit, quod *non poteſt reſurgere viribus propriis, & ſine gratia Dei*: quando autem affirmat quod poſſit reſurgere, ſemper ab eo præſupponitur auxilium, quod à gratia cœleſti recipitur. Alii reſpondent, quod peccator obſtinatus *in ſenſu compoſito non poteſt reſurgere*, bene tamen, ſi conſideretur *in ſenſu diviſo*. Veruntamen audite quam docte hanc difficultatem, & quidẽ ad præſens propoſitum meum aptiſſime reſolvat Gregorius de Valentia dum ait: *Peccatum obſtinationis non dicitur irremiſſibile propterea, quod nullo modo remitti poſſit*: notate quod ſequitur: *ſed quia difficillimè & raro remittitur*; difficulter & raro admodum peccator obſtinatus damnationem evadit, nam ex frequentatione actuũ peccaminoſorum paulatim generatur habitus ad malum unde naſcitur peccandi facilitas, & inde reſurgendi aut reſipiſcendi difficultas, ſicque in obſtinationis ſcopulum impingere debet.

*Greg. de Valen. in 22. D. Tho diſp. 1 q. 14. pa. 3 fo. 451. co. 2. C.*

Unde Durandus à Sancto Portiano dicit: *Obſtinatio eſt obduratio mentis in malitia, & non dicitur irremiſſibile, ita quod nullo modo remittatur, ſed quia vix & raro dimittitur*, id eſt, in fine vitæ, non quod DEUS ad remittendum offenſam promptus non ſit, cum ſacra nos Theologia doceat, quod *Facienti quod in ſe eſt, DEUS non denegat gratiam*. Sed quia peccator, qui ad ultimum uſque fuit obſtinatus, ſumma cum difficultate pœnitebit, & convertetur; rari enim inveniuntur, qui peccatum in morte deteſtentur, ſiquidem illud in voluntate & anima ſua ſecum gerunt, velut accidens quoddam inſeparabile in toto curſu vitæ. Et hæc eſt prophetia illa funeſta quam Salvator noſter hodie Phariſæis intentat, dum ait: *In peccato veſtro moriemini concomitanter*.

3. In communi Proverbio dici ſolet quod hominis mors vitæ correſpondeat. *Qualis vita mors eſt ita*. Etenim S. Matthæus multa in morte Salvatoris prodigia viſa eſſe refert; ſiquidem ruptum eſt templi velum: *Velum templi ſciſſum eſt*. terra commota eſt & tremuit: *terra mota eſt: Petræ ſciſſæ ſunt, monumenta aperta ſunt*, multaque Sanctorum corpora, quæ in terræ viſceribus jacebant ſepulta, reſuſcitata fuerunt: *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Quam ſunt hæc admiranda prodigia atque naturæ portenta! Quod ſi Pater æternus aliquod iræ ſuæ ſpecimen edere voluit adverſum Hebræos, cur non effecit ut vel per continuatas pluvias nova inundarent diluvia, uti Noe tempore factum eſt: aut cur terram non ſtravit carbonibus accenſis & luculenti ignis ardentibus flammis, prout Eliã feciſſe novimus, aut veluti urbibus infidelibus Lothi tempore accidit? aut ſi eos non mori ſed converti volebat, cur non potius in montem Calvariæ unum vel plures Angelos ſubmiſit, qui eis commiſſum declararent errorem, eoſque ad opportunam illius cauſa pœnitentiam, vitæ converſionem & fidem exhortarentur? Nequaquam ita fieri amabat, quinimo congruentius erat, ut vela dirumperentur, finderentur petræ monumenta aperirentur & mortui reſurgerent, & mereriro: Nam JESUS *qualis fuit in vita talis prorſus oſtenditur in morte, in vita ſcripturarum*

vela-

velamina explicabat terrenis animis, *Saxea corda peccatorum percutiebat, monumenta aperiebat, vitam defunctis præſtabat: Nonne id prorſus fecit moriens, dum terra quatitur, dum templi velum ſcinditur, rumpuntur Saxa, & vita defunctis communicatur?* inquit Doctor quidam Modernus. Cornelius à Lapide de certo quodam politico, ſed hæretico Principe refert, quod dum rogaretur utra ex ambabus Catholica nimirum fide & ſecta Calviniſtica ad conſequendum animæ ſalutem ſecurior videretur, argutè reſponderit: *Se malle vivere cum Calviniſtis, ſed mori cum Catholicis, quod vita illorum liberior & voluptuoſior, iſtorum mors lætior ſit & ſecurior.* At verò poteratne Princeps hic majori cum imprudentia loqui? Non erat reſponſum illo Principe dignum. Siquidem quaſi impoſſibile eſt, quod quis hæreticè vivat, & catholicè moriatur, Calviniſtæ vitam agat, & Chriſtiana morte vitā claudat: *Bona enim mors à bona vita pendet* [inquit Cornelius] *& impoſſibile eſt eum qui hæreticè aut male vivit, bene & feliciter mori.* Regula enim eſt univerſalis, multiplici experientia comprobata, quod ut ſcribit Adedolinus: *Non poteſt bene mori qui male vixerit;* unde & Abbas Berengoſius ait: *Mirum non eſt quod mala morte obiit, qui ſemper male vixit.* Res etenim monſtroſa eſſet, quam alteri id ſe vidiſſe aſſerenti vix credere poſſem, dari ſcilicet lupos caudam agninam habentes, ſive quod idem eſt, quod aliquis vivat ut lupus vorax, vitæque ſuæ finem claudat ut manſuetus agnus: *Sicut monſtroſum eſt quod lupus caudam ovis haberet; ita monſtroſum videtur, quod vita mala bono fine claudatur,* inquit Ludolphus Carthuſianus. Si vivas inſtar beſtiæ, rem certè incredibilem facies, ſi Chriſtiani hominis inſtar moriaris: difficillimum enim dicam impoſſibile eſt, ut quis obſtinati peccatoris vitam agat, & mortem habeat hominis alicujus verè pœnitentis. Vnde Poëta hanc difficultatem innuens egregiè cecinit:

*Quo magis eſt aliquis putei delapſus ad ima,*
*Hoc ille os putei ſtrictius eſſe putat;*
*Sic etiam, quo quis graviora in crimina præceps*
*Labitur, hoc minus eſt exitus huic facilis.*

Similes ſunt obſtinati foliis in Silarum Lucaniæ fluvium cadentibus, ſi Plinio credimus, vel illi Germaniæ fluvio, in quem, ut Albertus Magnus refert, *quidquid projicitur durefcit in lapidem;* Vel etiam gemmæ illi natura ſua adeò frigidæ, ut projecta in ignem, non ſolum non comburatur, ſed ne incaleſcat quidem, quin potius frigiditatem ſuam conſtanter conſervet. Flammæ quibus Caligulæ cadaver incinerandum erat, cor ejus comburere, non valuerunt, eò quod veneno imbutum eſſet. Crocodilus pellem, ſivè ſquamas adeò duras habere ſcribitur, *ut quamvis fortes lapidum ictus in tergo recipiat, nihil curet:* Verumenim verò quid Crocodili durities, vel cordis Heliogabili inalterabilitas cum obſtinati peccatoris pertinaciâ commune habet], utpote quæ omnem duritiem ſuperat? Cedat igitur gemmæ illius inalterabile frigus; cedant etiam virtute fluminis Silari in lapides converſa folia Pertinacis animi frigori, nec non lapideo & obſtinato cordi. Nam, ut ſanctus Bernardus ait: *Cor durum ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus? minis non cedit, flagellis induratur, ingratum eſt ad beneficia, infidum ad conſilia, ſævum ad iudicia, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina.*

*Domin. 3. Advent. fol. 45. ibid fol. 351. col. 1 lit. D.*

*Sueton. Tranq. Ioan à S. Geminian tom. 5. cap. 45. fol. 192 col. 4.*

*D. Bern. lib. 1 de Conſid fol. 274. cap. 4 lit L.*

5. Opportunè hic in mentem mihi venit canis ille Indicus Alexandro Magno dono datus, qui adeò erat ferox & truculentus, ut cujuſvis quantumvis ferocis Moloſſi; vel indomabilis cujuſdam & fortis tauri congreſſum & luctam dedignatus, ad evidentius animoſitatis & fortitudinis ſuæ ſpecimen cum ſolis leonibus certamen inire ſolebat. Hic igitur in facie & præſentia omnium circumſtantium ſpectatorum in Amphitheatrum ingreſſus, omnes magno auſu gravique inceſſu præteribat, & quia inimicorum, quibuſcum ſibi congrediendum erat, neminem adhuc præſentem conſpiciebat, veluti adverſarii moram & otium ſuum pertæſus, & ſomnolentus in arenam ſeſe proſtravit. Interea verò taurus quidam indomitus & ferociens in arenam immiſſus eſt, qui ſuperba fronte ſuis hunc canem auſibus in duellum provocabat, ejuſque furorem ſuis videbatur mugitibus velle accendere, ſuoque ore ſanguinem ſpumante cruentum præominabatur ineundi certaminis exitum: Denique armis ſuis quæ in ſemicirculi, vel mediæ lunæ ſpecie in capitis ſui vertice ferebat univerſam competitorum ſuorum turbam in fugam nitebatur conjicere: At verò canis Alexandri haud ſecus ac ſi injurioſum & probroſum ſibi eſſe arbitraretur, cùm tam imbelli adverſario concertare, ne unico

*Diodo. Sic. lib 17. Poll. cap. 5. Strabo lib. 15.*

obtutu quidem eum dignabatur aſpicere: Poſtea verò leonem quendam ex formidabilioribus, quos unquam Africæ remotisſimæ ſylvæ produxerat, in arenam ingredientem conſpiciens, intrepidus erigebatur, & veluti ſi quædam vehementis furoris in ejus pectore accenſa fuiſſet fornax, denſam fumi è naribus ſuis emittebat nebulam, aërem quodammodo obfuſcantem, ſuisque latratibus leonis ferociam exſuſcitando, eum provocabat ad pugnam. Et ut primis eum inſultibus laceſſeret, guttur mox invaſit inimici, adeò ut ferocisſimus hic ferarum Rex ſtaret immobilis & attonitus ob ſtuporem quo corripiebatur videns hujus ſubditi audaciam ſeu potius temeritatem, qui potius pavidus & tremebundus ejus advolvi pedibus, ſuamque teſtari ſubjectionem debebat: Interim verò canis Leonem latratibus, inſidiis, & continuis inſultibus ſuis adeò tenebat occupatum, ut vix ullum ei defenſionis locum relinqueret, ac tandem mirantibus omnibus eundem proſterneret, & porrò occidiſſet, niſi quiſpiam à Sopithe, qui canem Alexandro donaverat, cum gladio miſſus crus dextrum canis abſcidiſſet, ob quam mutilationem canis nunquam aut latratum, aut clamorem quempiam edidit, tantundem frendens dentibus carnificinam illam ſuſtinuit, donec exanimatus ſuper leonem expiraſſet, ut referunt Diodorus Siculus, Strabo & Pollux. Porrò peccator Alexandri cane non minus ferox, in huius vitæ arena cum formidabilisſimis peccatorum mortalium leonibus continuò dimicat, iiſque voluntate & operibus tenaciter innectitur; Deus quidem ad eum ab hoc impio prælio divertendum, nunc per Patrum Spiritualium voces monet, nunc per Prædicatorum minas reprehendit, nunc denique per immiſſas adverſitates graviter vulnerat, & tamen peccator in malo habituaturus pertinaciter peccata proſequendo progreditur, ita ut de eo verbis Auguſtini meritò dicatur: *Nec verbis flectitur, nec verberibus emendatur*? Dumque ad mortem uſque ſic obſtinatus permaneat, difficillimum eſt, ne dicam imposſibile, ut tandem per pœnitentiam in fine reſipiſcat. Unde Gregorius Papa dicit: *Vſitata culpa obligat mentem ut nequaquam ſurgere posſit ad rectitudinem, conatur & labitur, quia ubi diu ſponte perſtitit, ibi & cum voluerit coacta cadit.*

*D. Auguſtin.*

*D Gregor. in Evang. hom. 31. fol. 51. col. 3. lit. H.*

6, In Scriptura Sacra tres mortui à Salvatore reſuſcitati inveniuntur, primò ſcilicet filia Archiſynagogi dicentis: *Filia mea modo defuncta eſt.* Secundus fuit juvenis Naimiticus à matre ſua inconſolabiliter deploratus: *Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ:* Tertius denique Lazarus fuit, frater ſcilicet Marthæ & Magdalenæ, de quo Dominus ait: *Lazarus mortuus eſt eamus, ut à ſomno excitemus eum.* Obſervandus autem eſt modus quo Dominus tres illos ſuſcitavit; Sic enim videbitis quam differenter ſe circa ſingulos ſuſcitandos habuerit: De puella quidem dicit ipſam non mortuam eſſe, ſed ſomno ſopitam: *Non eſt mortua puella, ſed dormit*; per hoc nimirum inſinuare volens, eam tam facilè ad vitam revocari poſſe, quam facilè eſt dormientem à ſomno ſuſcitare. Quod verò ad Naimiticum juvenem attinet, illi manum ſuam adhibet feretrum tangendo: *Tetigit loculum*; eumque hac voce interpellat: *Adoleſcens, dico tibi ſurge*: At vero ut Lazarus ab eo reſuſcitetur, audite, obſecro, quas Ioannes notarit circumſtantias: *Infremuit ſpiritu*: *Impetum quendam indignabundum emiſit*, inquit Dionyſius Carthuſianus; Et S. Cyrillus Alexandrinus: *Infremuit quaſi minas ſatanæ & morti intentans, quæ & ipſum Lazarum ſtraverat.* Poſtea verò turbatur, & ob amici jacturam contriſtatur: *Turbavit ſemetipſum* Turbationi lacrymas adjungit: *Et lacrymatus eſt.* Deinde oculos in cælum elevat, & actis Patri æterno gratiis, ſe pro mortui reſurrectione Patrem ſuum antecedenter rogaſſe demonſtrat: *Elevatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me.* Poſtremò denique e ſinu pectoris ſui vocem quandam non vulgarem, ſed valde vehementem emiſit, dilectum Lazarum per eandem ad hujus vitæ auram denuò revocando: *Voce magna clamavit, Lazare veni foras.* Verum dicite, ſodes, ô Auditores: Nunquid Chriſtus hunc defectum unico duntaxat verbo, imò unica cogitatione reſuſcitare poterat? Quis dubitat? Ipſe etenim Deus eſt, nec ulla inveniri creatura poteſt, quæ divinæ voluntatis ſuæ imperio reſiſtere posſit: Cur igitur tot adhibet ceremonias, tot ſigna indignationis & turbationis, tot preces & planctus, denique vocem adeò vehementem. Alii duo, non minus quàm Lazarus, mortui erant, & tamen illos ſine hoc ceremoniarum apparatu reſuſcitavit. Hanc difficultatem ſuo tempore movit Ludolphus de Saxonia, dicens:

cens: *Dominus puellam de facili coram paucis ſuſcitavit, dicens. Surge; Iuvenem coram pluribus, & quaſi difficilius, tangens feretrum & dicens: Adoleſcens tibi dico ſurge. Lazarum difficillimè quia cum lacrymis, cum fremitu, cum ſuturbatione, cum magna voce dicens: Lazare veni foras* Scio equidem nullam Deo opponi poſſe reſiſtentiam, eumque nullam in operando experiri difficultatem; at verò in iis quæ dicit, aut facit, ſemper loquitur aut operatur juxta noſtram capacitatem; Etenim certum eſt, tres hoſce mortuos figuram eſſe peccatoris peccatis immortui. Duo autem primi, puella nimirum & adoleſcens, quia exiguo tempore mortui fuerant, eos ſignificant peccatores, qui modico tempore in peccato hæſerunt; Quod autem adeo facili negotio eoſdem reſuſcitavit, nobis apertè ſignificat, eos quoque à peccato facillimè reſurgere; At verò Lazarus quatriduanus peccatorem quendam repræſentat multis annis culpis ſuis inordeſcentem, qui profectò ad gratiam difficillimè poteſt reſurgere. Aut dicere poſſumus puellam jam jam, ſivè paulò ante mortuam eſſe: *Modo defuncta eſt*, ac proinde *non eſt mortua, ſed dormit*; ut inſinuetur, adeò facilè eſſe peccatorem paulò ante per peccatum mortuum reſurgere, quam facilè eſt dormientem reſuſcitare. Filius autem viduæ, licet non jam jam mortuus fuerit, non tamen ab ejus morte multum temporis interceſſit, feretro jacebat impoſitus, jamque ad tumulum deferebatur ſepeliendus, ac proinde ut peccator aliquis huic iuveni ſimilis reſurgat, id nec tantam facilitatem, nec magnam difficultatem in ſe continet: *Tetigit loculum, & tibi dico ſurge.* At verò ut Lazarus reſurgat, tot, tantæque concurrunt difficultates, ut eas ipſe quoque Dei Filius experiri videatur; nam *Quatriduanus erat*, jamque *in ſepulchro* lapide firmiter obſtructo *quieſcebat*: ut per hoc ingens nobis inſinuetur difficultas, quæ eſt in converſione peccatoris quatriduani & fœtentis, qui multis annis per conſvetudinem mortuus & ſepultus fuit, atque duro obſtinationis lapidi ſuccumbit. Conſentiunt huic meo conceptui Theophylus Antiochenus, Euſebius Emiſſenus, Cyrillus & Beda dicentes: *Per hos tres mortuos, tria mortis genera ſignificantur. Moritur enim homo prava & illicita cogitando; moritur mala operando; moritur in peccatis perſeverando.* Unde ſicut Martha [ut refert Cyrillus] *quaſi diffidens, veluti impoſſibile credens, poſſe fratrem reſuſcitari ob dierum diuturnitatem, dicit: Domine iam fœtet, quatriduanus eſt*: Ita Beda ſubjungit, peccatorem quatriduanum, id eſt, obſtinatum converti, ſi non eſt impoſſibile, ad minus tamen adeò eſſe difficile, ut ipſemet Dei filius ad magnam hanc difficultatem exprimendam. *Voce magna clamarit, fremuerit lacrymatus, quia difficilè ſurgit, quem moles mala conſvetudinis premit.*

Emiſſ ſer. dt. Lazar. fol 6 poſt 4 Dom, quoad D. Cyrill ibi. lib. 7 c. 21. fol. 382. col. 1. G. Beda ibi. f. 107 c. 2. Fran. Georg. Ven t. 4. n. 298 f. 249 co. 2.

7. Judas Iſcariotes inter obſcuræ noctis ſolitarias umbras tenebris & horroribus cinctus abibat in remotioribus Ieroſolymæ confinibus veram lucem quæſiturus, & quidem idipſum non parum admiror. Siquidem traditor ille velut avis nocturna jucundam lucem potius fugere debebat, quam inquirere Ecquis enim neſcit hanc ipſis etiam tenebris odio & abominationi eſſe? Et tamen Iudas & grex congregatæ cum ipſo fæcis hominum, culpæ caligine obtenebratus, ipſum in horto Gethſemani ſollicitè requiſierunt, & porro invenerunt. Verum audite quid iis acciderit; poſtquam enim in conſpectum Chriſti venerunt, interrogavit eos Dominus, quonam per avia & devia, & quidem hora illa inſolita & tenebroſa greſſus ſuos dirigerent, dicens: *Quem quæritis*, cui reſponderunt, ſe non alio fine in ſolitudinem illam conceſſiſſe, quam ut *Ieſum Nazarenum* invenire poſſint. Quibus Dominus ſubjunxit eum, quem quæritis, ob oculos poſitum videtis. *Ego ſum* Et confeſtim ut duo illa verba auribus eorum inſonuerunt, milites haud ſecus ac ſi furibundo aquilone, vel impetuoſo fulmine fuiſſent percuſſi, vel ut totidē arboris rami in terram foêre proſtrati: *Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Enimverò ut hujus turbæ prodigioſum lapſum præſenti propoſito adaptem, audite id, quod in Actis Apoſtolorum de Saulo conſcribitur. Is etenim Principibus Synagogæ ſe obtulit, quod tanquam juratus Chriſtianiſſimi inimicus in acie gladii ſuæ adverſum Chriſtianos generoſitatis ſpecimina monſtrare paratus eſſet, dummodo per inſtrumenta publica ſufficiens ei ad id authoritas tribueretur? hac namque recepta abiturum ſe eſſe in Damaſcum, nec inde reverſurum, niſi integros fidelium greges catenis vinctos, & innexos ſecum adduceret: *Accepit Epiſtolas in Damaſcum, ut ſi quos inveniſſet huius via viros, ac mulieres, vinctos produceret in*

Ioan 18.

Actor. 9.

*Ieru-*

*Ieruſalem*. Permiſſo igitur ſingulari plurimorum militum delectu, Damaſcum verſus contendit, quo in itinere Salvator ipſemet obviam ei procedens, & ad portas cælorum ſe videndum exhibens, ingentem ſplendorum exercitum in eum emiſit, à quibus circumdatus, & preſſus, inſuper violentiam vocis Chriſti audivit, quæ adeò eum perterrefecit, ut omni defenſionis remedio deſtitutus, atque in terram proſtratus victas dederit manus: *Et cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ecce igitur hic ex unâ parte Saulum in terram collapſum; Ecce item ex altera parte pro horto Gethſemani proſtratos milites; nunc igitur inter hos & illum congruam comparationem inſtituamus. Idemmet Chriſtus, qui Hebræis apparuit in horto Gethſemani, apparuit & Saulo in cælis: eandemmet vocem quam unus audivit, alii quoque auſcultarunt: imò eandemmet verba Chriſtus ad Saulum pronuntiat: *Ego ſum IESVS* & ad milites: *Ego ſum*, procidit in terram Saulus, in terram pariter procidunt turbæ: hucuſque pari paſſu utrimque proceditur, nunc eam, quæ inter ipſos intercedit, inæqualitatem audite: Saulus convertitur, ſuamque ferociam & iræ furorem deponit: atque ex Saulo in Paulum, ex lupo in agnum fœliciter convertitur, factusque jam manſuetus ad conſectandos Domini ſui nutus promptisſimum ſeſe offert, dicens: *Domine quid me vis facere?* Non jam deinceps perſecutor permanſit, ſed potius generoſisſimus factus eſt totius Chriſtianiſmi defenſor, *Vide quam cito declinata perſecutio eſt*, inquit Cajetanus: Hebræi autem è terra ſurrexere magis audaces & temerarii; quia non ſolum non deſeruerunt odium & iniquitatem, verum majoribus eandem adauxerunt incrementis, quia ſurgentes longè; viſi ſunt eſſe crudeliores & obſtinatiores, quam ante fuerant. At verò inquies: undenam hæc procedit diverſitas? Filius quippe Dei eadem adhibet media, iiſque eadem prorſus impertitus eſt auxilia, & tamen non obſtante hac identitate non conſequitur utrimque eadem converſio: quod proinde Chryſoſtomus; non parum miratur, dicens: *Vtrobique vincula, utrobique perſecutio, ſimile utrobique virtutis Chriſti indicium ſimiliaque remedia, at non ſimilis correctio*; Verum ecce tibi rationem, nimirum: *Ægri multum inter ſe diſtabant*, in hoc itaque conſiſtebat diſparitas, quod ſcilicet Saulus hoc Chriſtianos perſequendi munus non diu adminiſtrarit, ſed id faciendi authoritatem paucis ante diebus acceperit, atque ideo ſubitò converſus eſt, priuſquam erigeretur è terra; Hebræi autem triginta tribus continuis annis ſtruxerunt inſidias, & dolos machinati ſunt ut unigenitum Dei Filium perſequerentur, atq; ideo cùm in malo lapideam ſibi acciverint duritiem, adeò facti ſunt pertinaces & obſtinati: *Non enim pœnituerunt viſo tam inſigni miraculo* [inquit Dionyſius Carthuſianus] *propriamque infirmitatem experti ſunt, quoniam obſtinati erant*. Unde de Gebræis dici poteſt, quod Hannibal de Marcello quondam dicebat, rem & prælium ſibi eſſe cum adverſario quodam adeò obſtinato, ut nec victus cederet, nec victor quieſceret, *Sibi rem eſſe cum hoſte dicebat, qui nec victus, nec victor noſſet quieſcere*, inquit Plutarchus.

Caietan. ibid. fol. 479.

Chryſoſt. hom. de Converſ. S. Pauli

8. Inter alios præclaros titulos & glorioſa nomina, quibus Chriſtus Apoſtolos inſignivit, unum, & quidem præ cæteris magis myſticum eſt, quo illos Sal appellat: *Vos eſtis Sal terræ*; quaſi diceret: Vos ô dilecti & fideles Apoſtoli mei per omnes mundi partes abituri eſtis ad prædicandum Evangelium, gentesque peccatrices convertendas, quo quidem officio, ut benè & fructuosè fungamini, operæ pretium erit, ut fideles ſitis Salis imitatores; verùm ô Domine niſi te magis explicaveris, Apoſtoli, id quod eis à te dicitur, nequaquam intelligent: quod ſi enim per divini verbi ſementem fructificare debeant colligendo, & convertendo animas, opinione meâ convenientiùs illos terræ comparaſſes, dicendo: *Vos eſtis terra*. Præterea ex quo Evangelium tuum per totum mundum portaturi erant mentesque eorum, qui ignorantiæ tenebris ſepulti jacebant, per Doctrinam Apoſtolicam illuminaturi quodnam illis convenientius exemplar & prototypon ob oculos poni potuiſſet quam Solis? Veruntamen quia Sal tantæ eſt utilitatis convictui humano, ut Paulus Manutius in ſuis Adagiis dicere non dubitarit: *Sale nil utilius*: unde ſanctus Hieronymus inquit: *Sal appellantur Apoſtoli, quia per illos univerſum hominum genus conditur*. Aut dicere poſſumus, Chriſtum per hanc Salis analogiam Apoſtolos monere voluiſſe, ut deinceps prudentiam ſollicitè obſervarent, utpote quæ à ſancto Paulo in Sale repræſentatur, dum ait: *Omnis ſermo veſter Sale conditus ſit*, O Coloſſenſes.

vel

Vel etiam, ut interpretatur Chromantius, Sal cum operatur in carne qualibet, corruptelam non admittit, fœtores aufert, ſordes expurgat, vermes non ſinit generari. Fortè juxta obſervationem Sancti Paciani eos ſalis naturam imitari voluit. *Vt in prælato ſit ſeveritas cum clementia*; vel cum Dionyſio Carthuſiano, *Vt præſerventur à putredine vitiorum*; Enimverò tot tantæque ſunt ſalis qualitates, ut eas recenſendo juſto prolixior futurus eſſem, ideoque omnibus aliis prætermiſsis ad unam duntaxat, quam Sanctus Ioannes Chryſoſtomus obſervat, veſtras mecum cogitationes deflectite: Quod ſi enim ferculum aliquod bonum habeatis, ſal illud à putrefactione præſervat aut ſi nonnihil putreſieri cœpiſſet, id eſt, eſſe *in fieri putrefactionis* Sal ea eſt virtute præditum ut illud ab ulteriori putrefactione defendat & conſervet: at verò ſi totum marcidum fuerit, *& in facto eſſe* corruptum, vana eſt illius cura, neque tanta eſt ſalis virtus, aut energia, ut in priſtinum ſtatum illud reſtituat: pono hunc eſſe Chryſoſtomi ſenſum ex ſequētibus ipſiſſimis ejus verbis ediſcite, dicit enim: *Vos eſtis ſal terræ; quid? Ipſine putrefacta medicati ſunt, nequaquam, neque enim fieri poteſt, ut ea quæ jam corrupta ſunt, ſalis perfricatione reparentur.* Niſi peccator adhuc putrefactus ſit, aut culparum vermibus ſcateat; ſufficeſt eidem mederi; at verò ſi ſit *in facto eſſe putrefactionis*, Sal doctrinæ Evangelicæ ac verbi Dei non ſufficit, ſed & alia præter ſalem adhiberi debent: quia non talium reſtitutio animis eſt difficilis, oportet ut ipſemet Dei filius Chriſtus, per ſuam omnipotentiam ad eius converſionem concurrat: *Liberare quippe à putredine peccatorum, Chriſti virtus eſt*, ait Chryſoſtomus. *At vero ſi animæ, ſint jam putridæ, ac corruptæ peccatis inveteratis & præ antiquis, has generare, eiſque medelam dare extra ordinariam manum hominis, & ad unam poteſtatem Dei ſpectat*, ait quidam modernus Carmelitanus,

9. Neſcio an aliquando modum obſervaveritis, quo Homo verbum, in crucis aſpero ligno ſuſpenſus latroni Paradiſum promiſit: poſtquam enim moribundum hunc peccatorem ſuſpirantibus labiis, & corde dolore transfixo ob tot iniquitates contra Dei majeſtatem commiſſas ſe tam lamentaliter hiſce vocibus ſe recommendantem audivit: *Memento mei* (Luc. 23.) *Domine. dum veneris in regnum tuum*, benigno vultu ad eum converſus, Paradiſum ei liberaliter obtulit, dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Porrò quod filius Dei huic latroni Paradiſum promittat, nequicquam admiror, ſcio etenim quam ingens ſit eius miſericordia & liberalitas; At verò hoc ſolum cogitationes meas nonnihil ſuſpendit, quod audiam eum huic promiſsioni hanc particulam *Amen* adnectere, cùm tamen eâdem dictione ab hac Chriſti Periodo ſublata ſenſus illius nequaquam imperfectus foret, nec minus exprimeret, quam nunc particula hâc adjuncta exprimat; poterat igitur eandem omittendo dicere: *Dico tibi hodie mecum eris in paradiſo*: Enimverò hanc difficultatem probius intelligemus, ſi reflexionem quandam fecerimus ſuper nonnullis ſcripturæ paſſibus, in quibus Salvator noſter eundem ſtylum modumque loquendi uſurpat. In ultima cæna conſtitutus, Sancto Petro revelavit, quod in ea nocte ab ipſo negandus eſſet, qui difficulter ſibi perſuadens, futurum ut errorem adeo notabilem committeret, audacter potius carceri & morti obeundæ ſe obtulit, dicens: (Luc. 22. Matt. 26.) *Tecum paratus ſum in carcerem, & in mortem ire. Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; Magiſter autem cœleſtis ut eum ad hanc difficultatem credendi ſuperandam diſponeret, in confirmationem verbi ſui addit *Amen*, dicendo: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Idemmet Chriſtus cum Nicodemo prolixius diſſerens, eundemmet modum animam ſuam ſalvandi edocere volens, cùm prævideret Nicodemum difficulter crediturum, (Ioan. 3.) quod homo ſenex in uterum maternum redire, & renaſci poſſit: unde & dixit: *Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato ire & renaſci?* Cœleſtis Evangelicæ doctrinæ Magiſter, ut ei ad hanc difficultatem intelligendam lumen ſubminiſtraret, hiſce eum terminis erudivit: *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Similiter ad Hebræorum turbam & diſcipulos ſuos prædicationis verba faciens proteſtatus eſt, quod niſi manducarent carnem ſuam, ſuumque ſanguinem biberent, vitam ſpiritualem habituri non eſſent; ſimulque præcognoſcens rem hanc difficilis fidei fore in mentibus auditorum, qui pro- (Ioan. 6.)

*Tolet ibi. in com fol. G 17. Dionyſius. Cart ibi. art. 19 fol. 288. co. 2. Chryſoſt ibi hom 46 f 175.*

proinde admirati dicebant: *Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare ad manducandum?* At demum collatis inter ſe capitibus muſſitabant, dicentes: *Durus hic ſermo & quis poteſt eum audire?* Id eſt ut explicat Toletus: *Credibilis non eſt, nec ad intelligendum idoneus, nec ad audiendum ſuavis.* Dionyſius Carthuſianus ait: *Ad intelligendum difficilis & rationi, vel veritati contrarius eſt hic ſermo,* dicebant Hebræi. Et S. Ioannes Chryſoſtomus *difficilis intellectu, & quem capere non poſſet eorum imbecillitas;* Atque ideo Salvator ad hanc ipſorum difficultatem ſuperandam verum illis proponit hiſce verbis: *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis,* &c. Porrò Latro intra ſemetipſum hunc in modum ratiocinabatur, & dicebat: Ego qui toto vitæ meæ curſu in malo habituatus fui & ſceleribus deditus, nullum unquam contritionis actum eilcui: qua igitur ratione nunc in fine vitæ conſtitutus ſalvabor? difficillimũ id mihi videtur. Vixit pertinax, vereor ne mori cogar obſtinatus, animam meam peccatis conſtrinxi, nec vincula hæc unquam ſolvere curavi, ut autem hæ catenæ in hac ultima periodo diſrumpantur, res admodum ardua erit: Veruntamen quid tentaſſe nocet? Si intentum non aſſequar ſaltem me mihimetipſi defuiſſe lamentari non potero? ſi pulſanti aperiatur, & res pro voto ſuccedat, ingentem ſuperabo difficultatem: ſcio etenim quod infinita ſit divina ietas, quæ à culparum mearum multitudine ſe vinci non ſinat; tentabo igitur, an procelloſum hoc mare trajicere, & montem hunc arduum complanare poſſim: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Cui Chriſtus Crucifixus reſpondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo,* quaſi diceret: Difficile quidem eſt ſalvari eum, qui uſque ad extremum vitæ ſuæ obſtinatus permanſit: ferrum enim in aurum difficulter transformatur, vita lupi, non terminatur in morte agni. Quiſquis actiones reproborum committendo in malo pertinax perſiſtit, mirum erit ſi in fine vitæ reſipiſcat, ut ad bonum ſe applicans pœnitendo moriatur: Veruntamen macte ſis animo, ad te enim quod attinet, tecum in hac lege diſpenſatur; & quidem ad tollendam omnem formidinem, & ut te portum ſalutis aſſecuturum eſſe certus eſſe valeas ſecurus eſto omnes, à te periculoſiores ſcillæ & charibdis difficultates ſuperatas eſſe; id quod tibi non ſolum promitto, ſed pro majori ſecuritate jurisjurandi additamento confirmo: *Amen*, bono igitur animo eſto, & ſpera, quia *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo.* Eſtque hæc obſervatio Didaci Stellæ dicentis: ibidem folio quadringenteſimo primo columna tertia, *Huic promiſſioni aſſertionem ſuam adiunxit dicens: Amen dico tibi, quia grandi peccatori & tam vili perſona difficile videbatur dari regnum:* Abſit igitur ut ad habitum acquiſitum uſque in malo perſevereris, vobisque deinde per diabolica figmenta futurum eſſe perſuaderi ſinatis, inventuros vos in puncto mortis converſationis miram facilitatem, ex dictis namque perſpicuè ſatis colligere poteſtis futurum omninò contrarium. *Et in peccato veſtro moriemini.*

10. De quodam hortum quendam animi cauſa ingrediens, in quo ſingulari cum majeſtate *Flora* & Pomona reſidebant, eundem obibam oculos paſcens ex plantarum pulchritudine; & tam naturæ, quam artis elegantia mirè exhilarabat: neque enim arbor aliqua erat, quæ ad ſui aſpectum me non allicerett, nec virgultum, quin mille coloribus conſpicuum pomposè ſe extenderet, & oculos ad ſe raperet. Tandem verò ad quædam cedrorum frondium ſuarum virorem dilatantium periſtromata converſus vidi: quod ex ramo vitis quædam cedro innixa. & ex hac uvæ botrus ex maximis non minimus ſuſpenſus penderet vitreæ cuidam ampullæ mirificè incluſus: Ego, qui artis hortulanæ experientiam nullam habeo, ſteti attonitus, quia os vaſis ſtrictum, & collum eius ſatis ſubtile & anguſtum erat erat, fructus autem in vaſe recluſus adeo magnus, ut corpus vaſis omnino adæquaret. Intra memetipſum hoc conſiderans varias formavi chimæras, quonam hortulanus artis magiſterio uſus fuiſſet, ut fructum hunc tantæ magnitudinis per viam adeo anguſtam tranſire faceret. Tandem nullum hujus artis veſtigium inveniens continere me non potui, quin curioſitate permotus ex hortulano ſciſcitatus ſim, quonam id modo obtineret. Qui mox

mox reſpondit, ſe uvam hanc dum parva eſſet & florem ſuum vix abſolviſſet, huic ampullæ incluſiſſe, quæ quotidie magis magis que adaucta ad hanc tandem magnitudinem perveniſſet. Mox hortulano reſpondi, quid faciendo uvam ab ampulla eximeret, reſpondit, id à principio, quando uva parvula erat, facillimum fuiſſe, nunc autem, poſtquam temporis diuturnitate in hanc uſque quantitatem excrevit, impoſſibile, nedum difficile eſſe eam inde ſine vaſis perfractione eximere. O ingenioſam & pulchram inventionem, meoque propoſito accommodatiſſimam! Si quando enim fructus aliquis peccati venenoſus corda veſtra ſubingreditur, in principio quidem facile erit, ſi eum evellere volueritis, inde eximere, inde extrahere; at ubi ſi radices egerit, ſi invetereſcat, magno ubi ſi ſtudio erit ab illo vel in fine vitæ liberari, nec aliud reperiri poteſt medium [niſi Dei per extraordinariæ cujuſdam gratiæ auxilium ſuccurrat] niſi ut mors ſuperveniens corda veſtra dirumpat & confringat: *In peccato veſtro moriemini.* Reſpicite Iudam ab arbore ſuſpenſum, cumque exiſtimate ampullam quandam eſſe, intra ſe acerbum nimis & venenoſum peccati fructum, quem in corde ſuo circumtulerat, continentem; quidquam Salvator noſter non molitus eſt vias, ut illum ab ejus anima eradicaret, dulciter illum monuit, graviter eum reprehendit, dira ei comminatus eſt, ſed caſſo ſemper & irrito effectu: hic namque maledictus ille peccati fructus temporis diuturnitate eouſque excrevit, ut tandem opus fuerit vas ipſum confringi, quando *Suſpenſus crepuit medius & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Aptè huic propoſito illa Iſidori doctrina accommodari poterit dicentis: *Difficile eſt peccati conſuetudinem vincere: pravus uſus vix aboletur, aſſidua conſuetudo vitium in naturam convertit. Animus ſceleribus aſtrictus, vix ab eis divelli poteſt.* Sanctus Auguſtinus peccatorem obſtinatum infirmo lethargo laboranti comparat, hunc enim excitare, quantum, quamque diu libuerit, ſi tamen excitari poterit, ſemper enim expergefactus ad ſomnum redibit: vellicate aures, trahite illum per capillos, caput eius movete, alapis cædite faciem eius, ſemper illum in dormiendo obſtinatum invenietis, imò priuſquam expergiſcatur propriæ mortis ſententiæ ſubſcribet: *Hic ita obſtinatus eſt ad dormiendum, ut mori malit quam evigilare: ille adeo eſt ad peccandum obfirmatus, ut mortem malit incurrere, quam à peccato abſtinere.* Amittat licet reputationem & famam in malam fortunam ejus vertantur facultates, de incurabilibus infirmitatibus periclitetur, reprehendatur ab amicis, à religioſis admoneatur, dira ipſi quis comminetur humanæ & divinæ juſtitiæ ſupplicia, caſtigetur à Deo, mortem ſibi imminentem & ob oculos poſitam proſpiciat, vana ſunt omnia, quia *mortem mavult ſubire, quam ſuos appetitus non explere.*

Auguſt. lib. 50. hom. 11.

Mendoza t. 2. l. Reg. c. 8. n. 22 fol. 646 col. 2. l. D.

II. Quando myſticus juſtitiæ Sol in aſpero crucis ligno, patibulo illo doloroſiſſimo ad mortis occaſum vergebat, Hebræi in monte Calvariæ præſentes experiri volentes, ſi verè filius Dei eſſet, ſuadebant ei ut de cruce deſcenderet, ſic enim ſe credituros, eique fideles futuros eſſe, eum veluti Meſſiam & Iſraelis Regem acceptando: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei,* ſcribit Sanctus Matthæus; Et ſanctus Marcus pariter, dum ait: *Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, ut videamus & credamus.* O amantiſſime Salvator eo potiſſimum fine in hunc mundum veniſti, & in hac hora amariſſimæ mortis agoniam, & tot alia diriſſima ſupplicia ſuſtines, ut animarum tibi lucrum comparares, tot operatus es prodigioſa miracula, ut mundus, quiſnam verè ſis, cognoſceret, eſſentque convicti omnes increduli: in hac hora unicum duntaxat miraculum faciendo, de cruce nimirum deſcendendo, tuum plenariè obtinebis intentum. Hebræus namque firmo fidoque verbo tibi promiſit facturum ſe tibi publicum homagium, teque velut Iſraelis Regem acclamaturum eſſe. Quod ſi igitur in eorum petitionem condeſcenderis, magnam inde tibi paries exiſtimationem: & ſi autem non deſcenderis, Hebræus temerario auſu in incredulitate & malitia ſua magis confirmabitur. Quid igitur facies? Num forte anceps & dubius hærebis? Nequaquam, imò reſolutiſſimè ſtatuit eorũ ſe petitioni minimè

Matt. 27.

Marc. 15.

ſatisfacere velle. Etenim O Auditores, ut verum fatear, valde admiror, quod cum animarum ſalutem tantâ cum ſollicitudine perurſerit, hanc Judæorum ultroneam præſentationem neglexerit. Prætermiſſa igitur quâvis aliâ reſponſione, eam quam Maldonatus aſſignat, libenter amplector, qui opinatur, quod tametſi Chriſtus miraculum feciſſet deſcendendo de Cruce, ipſos tamen adeo futuros fuiſſe obſtinatos, ut nequaquam credituri fuiſſent; O Deum immortalem! Ergone poſſibile eſt, quodquis videns Chriſtum Crucifixum manus pedeſque clavis eximere, atque de cruce deſcendere, ad credendum tamen induci non poſſit? Quænam eſt hæc pertinacia *Chriſtus non ignorabat eorum animos, foreque ut viſis etiam miraculis non crederent*, inquit Maldonatus Et S Hieronymus huic paſſui eandem adhibet ſolutionem dicens: *Fraudulenta eſt promiſſio, cùm addit: Et credimus ei; Quid enim plus de cruce adhuc viventem deſcendere, an de ſepulcho mortuum reſurgere? Reſurrexit & non credidiſtis; ergo etiamſi de Cruce deſcenderet non crederetis* Sunt hi peſſimæ pertinaciæ peſſimi fructus, videre ſcilicet effectus, & tamē eorum cauſam negare, ob oculos habere actiones, & cauſam illarum efficientem non credere. Veruntamen quantò plus ipſi pertinaciter negando obſtinati fuerint, tantò ego ad confirmandam illorum perfidam obſtinationem ero conſtantior.

*Maldon in c. 4. Luc. fol. 8 l. C Hieron. in c. 27. Matt ap. D. Tho. in cat f. 109. col. 3.*

12. Moyſes ex capitaneo prædicator effectus eſt, & merito, quia cùm in utraque profeſſione expertiſſimus fuerit, de eo in veritate dici potuit: *In utroque Cæſar.* Hic igitur milites ſuos reprehendendo, divinæ benignitatis recepta beneficia eis exprobavit dicens: *Vos vidiſtis univerſa, quæ fecit Dominus in terra Ægypti coram vobis* Quaſi diceret: vos divinæ providentiæ effectus, quos in Ægypto in veſtrum commodum eſt operata, negare non poteſtis; etenim propriis eoſdem vidiſtis oculis, ideoque vobis ipſis tot ſignorum, quæ Deus hac virga mediante in exterminium tyrannicæ impietatis Pharaonis, & in veſtram magnam utilitatem eſt operatus, oculares teſtes eſſe poteſtis: *Vidiſtis ſigna illa portentaque ingentia:* Et tamen (non ſine meo rubore & veſtra confuſione id vobis exprobrare debeo) non habuiſtis intellectum ad cognoſcendum, nec oculos ad videndum, quæ inter vos Deus operatus eſt ſigna. *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes & aures quæ poſſint audire*, inviti ad credendum fuiſtis uſque *in præſentem diem.* verum enim verò ſiſtite pauliſper, mihi namque eſt animus vos confundere & videre, num poſſibile ſit, ut veſtram ſuperare duritiam poſſim. Nunquid firma adhuc memoria teneris, quod quando anhela ſiti aquam deſiderabatis, hac eadem virga durum percutiendo ſilicem ex ejus frigido ſinu dulcis aquæ rivos ſcaturire fecerim? At verò ô Moyſes populus tuus dormitat, nec te amplius auſcultare ſuſtinet, melius proinde erit ut diſcurſum tuũ finias, ego interea ad hos qui libenter me in ſilentio auſcultant, ſermonem meum proſequar. Redeo igitur ad vos ô Auditores, voſque attentos eſſe cupio ad obſervandum nonnullas prodigioſæ virgæ Moyſis mirabiles conditiones. *Tulit virgam, quæ erat in conſpectu Domini ſicut præceperat ei.* affirmant multi Rabini, quod eo tempore, quo Moyſes petram virga percuſſit, flores etiamnum & fructus pependerint ex ea, quos paulò ante tametſi ſicca & arida præter naturæ ordinem germinaverat, ita enim loquitur ſcriptura: *Invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Hac igitur Rabinorum opinione ſuppoſita, difficultas quædam hic mihi ſubnaſcitur, cur Moyſes ad eliciendam è ſilice aquam, virgam adhibere voluerit, adhuc floridam & fructibus onuſtam? Nimirum, ut videntes Deum effeciſſe ut virga quædam arida, ſicca, & ab arbore præciſa floreret, & fructus produceret, tanto facilius crederent eum efficere poſſe, ut aqua ex duro ſilice ſcaturiens prorumperet: verum ô miram pertinaciam! Miraculum quidem virgæ viderunt, & tamen adeo fuere obſtinati, ut aliud aquæ è petra eliciendæ miraculum credere prorſus noluerint, ac proinde Moyſes graviter iratus eos reprehenderit tanquam incredulos & rebelles. *Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Eſtque hæc obſervatio P. Franciſci Mendozæ, qui adverſus populi illius perfidiam ita ſcribit: *Sed quid Hebræi ſua perfidiæ tam pertinaciter adhærebãt, ut de priore miraculo certi, de poſteriore dubitarẽt Quæ major eſſe poterit in perfidiâ obſtinatio: Præſens miraculum experti futurum ut impoſſibile judicabant* Verùm nunc

*Deut. 24.*

ad

ad montem Calvariæ revertamur. Quot miracula Dei filius operatus eſt, priuſquam clavis cruci affigeretur? Viderant illa, nec tamen crediderant, idem prorſus facturi, ſi de Cruce deſcendiſſet: *Viſis etiam miraculis non crederent, & ſi de cruce deſcenderet, non credidiſſent.* Proprietas nimirum ſingulariſſima obſtinati cordis.

13. Deus noſter, cujus ſapientia eſt infinita, quique intellectu ſuo intelligit & comprehendit omne ens intelligibile, ſive illud difficile ſit, ſive facile, ſive clarum, ſive obſcurum, ſive neceſſarium, vel contingens, ſive præſens, aut præteritum, ſivè futurum ſive poſſibile; & tamen intelligere nequit (loquor juxta noſtram capacitatem) qua ratione peccator in malo obſtinatus eſſe poſſit? Ergò impoſſibile eſt (inquit præ admiratione attonitus Jeremiæ) quod ſi quis in foveam ſeu præcipitium aliquod cadat, inde non queat reſurgere? vel quod is qui diabolo inſtigante, vel ex humana fragilitate dorſum mihi dederit, atque à me ſummo bono ſuo elongatus, ſtatum ſuum non recognoſcat, ſuumque errorem emendans tandem corde contritu ad creatorem ſuum ſeſe convertat? Videat quod mundus blanditiis eos decipiat, & tamen dæmonem eos fallacium voluptatum viſco decipientem confidentes ſequuntur. *Hæc dicit Dominus, nunquid qui cadit, non resurget. Et qui averſus eſt, non revertetur? Quare ergo averſus eſt populus iſte averſione contentioſa? Apprehenderunt mendaciũ & noluerunt reverti.* Atque inde veriſſimum eſt, quod inſtar dæmonum à malo ſemel electo eſſe videantur inflexibiles, & *nolint reverti.* Imò demone pejores & inflexibiliores ſunt. Pellebat Chriſtus dæmones è corporibus humanis: qui egrediendo ipſi acclamabant, eumque confitebantur eſſe verum Dei Filium: *Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es Filius DEI.* Hebræus autem eadem in re dæmone longè inflexibilior & obſtinatior erat. Unde ſanctus Ambroſius admirans exclamat: *Populus negat, quem dæmones confitentur ô pejor Magiſtro diſcipulorum hæreditas.* Enim verò quod hic de Hebræo dicitur, de Chriſtiano dici exiſtimare debetis, licet in diverſo peccatorum genere. Verum nondum me ſufficienter explicavi, audite quid longe majus Jeroboam Rex idola quædam in templo Altari ſuperimpoſuerat, quibus ipſemet Sacerdotis officio functus incenſa offerebat: honorem Deo debitum impiè eidem adimebat, & tribuebat idolis, ac denique ſacris ſe ingerebat officiis conditioni ſuæ minimè convenientibus: Deus igitur Prophetam quendam ad eum ablegat, ut in Bethel ſe recipiens temeritatem ejus acriter reprehendat, qui Rege coram Altari conſiſtente cum thuribulo, ad eum venit & elata voce exclamavit: *Altare, altare,* Rex autem converſus, & graviter Prophetæ indignatus, dexterâ miniſtris ſuis, ut eum in carcerem mitterent, annuit: *Et exaruit manus ejus*: quam arefactam ad ſe denuò retrahere minimè potuit: eodemque tempore Altare confractum corruit. Circa hunc Scripturæ locum duæ inſtitui poſſunt conſiderationes; prima eſt, quod Propheta ſe timidum & inertem demonſtrare videatur; cùm enim ab ipſo Jeroboam reprehendendus eſſet, ipſe ad Altare ſe convertit, quod omnis expers eſt culpæ, & verbis ſuis idipſum confringit in partes. Secunda, Rex videt duo in conſpectu ſuo patrari prodigia, unum circa dexteram ſuam, quæ ſubitò areſiebat, alterum circa Altare, quod verbis findebatur, nec tamen ab errore movetur, nec noxias ſibi mutat cogitationes: Videt inſuper dexteram ſibi cælitus interventu precum Prophetæ reſtitui, nec tamen emendatur, imò ut Modernus quidam refert. *Obſtinatior quàm antea ſemper uſque ad mortem in peccatis permanſit.* Valde etenim hic obſtupeſco, dũ lapides minus corde hujus Regis duros eſſe conſpicio, illi enim rumpuntur, hoc autem induratur: lapides Altaris inſtar cordium molleſcunt; cor verò Jeroboam velut lapis indureſcit. Cæterum quod ad primum punctum attinet, quod ſcilicet Propheta lapides, non verò Regem allocutus fuerit, prudenter in hoc ſe geſſit: utpote qui prævidebat, quod verba ad ipſum permovendum pronuntiata, vento infallibiliter tradenda eſſent, utpote qui *Ipſis lapidibus durior, ipſis marmoribus pertinacior, erat.* Quantũ verò ad ſecundum eadem prorſus militat ratio, ſcilicet, quia obſtinatus erat: nam per miracula reddebatur perverſior, per prodigia pertinacior, adeò ut in malo ipſis eſſet lapidibus durior: *Erat lapide ipſo inſenſibilior*, inquit Chryſoſtomus. Hæc enim eſt omnium obſtinatorum propria indoles, quod per beneficia indureſcant, Deus

Margin notes: *Jerem. 8.* — *Luc. 4.* — *Ambroſ. in Luc. lib. 4. cap. 4.* — *Laurent. de Aponte in ſapient. Salom cap. 19. num. 1. hom. 109. fol. 965. nu. ibid. col. 2. lit. D.* — *Idem ibid.* — *Chryſoſt. hom. 3. in Gen.*



qui

quidem omnis generis ſtratagemata exhibet quæ invenire poteſt miſericordia pariter & juſtitia ejus & per viciſſitudinem nunc pietate utitur, nunc rigore, ſed irrito prorſus effectu: quid enim juvat quod in incude divinæ providentiæ ſpecimina excudantur præmiorum gloriæ ad obſtinatum alliciendum, ſi is illa conſtanter reſpuat? aut quid proderit oſtendere ei infernum apertum ad videndum ſibi præparata ſupplicia, ſi ea nequicquam formidet? O malitia inaudita! Talibus nec promisſiones proſunt, nec minæ eos terrent, nec beneficia, nec ſupplicia quicquam efficiunt; unde Chryſoſtomus oculis inconſolabiliter lachrymantibus dolet, dum ait: *Doleo, & lugeo, quia video in vobis tantam virtutis raritatem, malitiam autem quotidie invaleſcere. Neque moratur gehenna timor noſtrum in mala curſum, neque regni deſiderium adhortari ſufficit ut in via virtutis ambulemus.* Unde obſtinatus ſtultum illum amantem imitari videtur, qui magnitudinem affectus, quo alterum proſequebatur, exprimere volens, Emblematis loco in chartâ quadam depinxit ramum fœniculi & viperam, nulla eidem adjuncta epigraphe, eò quod emblema ob ſui ingenium per ſemetipſum loqui videretur, & dicere: Duo hæc corpora emblema hoc componentia ſimul conjungite, & per eaſdem literas & ſyllabas dicite *fino ch'io vipera*, quæ ſyllabæ in duas dictiones collectæ ſignificant, italice *fino chio*, quod latinè eſt *fœniculus*, & vipera, quaſi italicè diceret: Nunquam te amare ceſſabo, ſive ob diſtantiam ſitus, ſive ob fortunæ adverſitatem, quin potius te amabo, id eſt, donec per mortem deſiero Eja ô peccator dic ſodes, quamdiu in peccato, quod animæ tuæ damnationem accerſit, ſubſiſtes? Quando tandem permoveberis ad inſtituendum quoddam conſcientiæ examen in ordine ad veram confeſſionem faciendam: nunquid te morti proximum eſſe vides? quæ, quando, ubi & quomodo te invaſura ſit, ignoras. Et tamen citius tibi fortaſsè eveniet, quàm imaginari poſſis, atque ideo quamdiu in ſceleribus tuis pertinax eris? Eheu! infœlix homo. Videor mihi te reſpondentem audire fino ch'io vipera, id eſt, donec moriar. Ergone bonum aliquod æternum perdere nihil curabis? Ergo non terreberis conſiderando, quod ad pœnas infernales ſis damnandus? Nec apprehendes malum omnium malorum maximum ſcilicet, quod in continua DEI ira & indignatione vivas? Nihili hæc omnia facio, ſic eſſe volo: quid mihi cum DEO intercedit, quid mea intereſt de paradiſo, vel de inferno curare? O Scelerate! Ergone hucuſque tua pervenit perfidia, ut hæc omnia nihili facias? Sile O beſtia: os illud inferni occlude O Sacrilege Atheſta Si mori vis obſtinatus in culpa, eveniet tibi haud dubie, quod Chriſtus, qui ipſiſſima infallibilis veritas eſt, tibi in hodierno Evangelio auguratur, imò comminatur dicendo: *In peccato veſtro moriemini* Porro quisquis obſtinatus eſt, non ſolum non removetur à malo, quin etiam non movetur ad bonum Vos igitur curate, ut opere ipſo vos tales non eſſe probetis, debitam erga pauperes miſericordiam exhibendo.

Idem hom 24. in Gen.

## PARS SECUNDA.

14. *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Multæ huic paſſui à Sacris Scriptoribus adhibentur expoſitiones. Origenes ita interpretatur: Origen. in Catena D. Thom. ib fo 174. l. D. *Cum aliquis in ſuo peccato moritur: quò vadit IESVS, non poteſt ire, nullus enim mortuus poteſt ſequi IESVM.* Cardinalis Toletus ait ibidem in com. fol. 743 *Longè diſſimilis eſt terminus meus ad quem vado, ab eo qui vos expectat.* Dioniſius Carthuſianus ſic dicit ibidem articulo 22 fol. 299. l D *Peccata enim veſtra ſeperant inter DEVM & vos, & ipſa prohibent bonum à vobis* Sanctus Joannes Chryſoſtomus ſic explicat: in cap. 8. Joannis homilia 51. fol. 199. *Non poſſe, hoc in loco, non velle eſt. Quare autem non poteſtis? Quia deſideria patris veſtri vultis facere* Denique Sanctus Cyrillus hanc adhibet paraphraſin: Ibidem lib. 5. cap. 21. f. 285. l. D. *Ad vitam enim propero ſempiternam, vos autem ad æternum mortis horrorem quæ oblatam vitam veſtrâ pervicaciâ rejicicitis* Alias adducere poſſem reſponſiones quas tamen brevitatis cauſa prætereo, & unicam tantum adducam, quæ in loco quodam Evangelii Sancti Matthæi continetur, quam velim cum patientia & attentione auſcultetis. Unigenitus DEI Filius in vertice montis cujuſdam velut è pulpito magno cum fervore prædicaverat, fini-

Finito autem ſermone unà cum auſcultantibus cum turbis deſcendebat, cumque vix in vallis planitiem veniſſet, leproſus quidam coram eo adducitur, de quo Matthæus ſcribit: *Ecce leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine ſi vis, poteſt me mundare.* Enimverò ſi hic leproſus adeo vehementer à lepra curari deſiderabat, prout facilè cuivis eſt credere: cur expectat donec Chriſtus deſcendat, & non potius, ut facere eum conveniebat, montem aſcendendo Chriſto obviam proceſſit? Sanctus Joannes Chryſoſtomus dignam hujus quæſtionis adfert reſolutionem: *Quia lepra erat gravans, & peccatorum bajulans pondus, ſurſum aſcendere non valebat.* Quaſi diceret, ideo ei arduum videbatur eſſe ad montis uſque verticem aſcendere, quia grave peccati pondus, quod in lepra figuratur, ſecum portabat. Et ob eandem rationem Redemptor noſter Hebræis dicebat: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* q. d. Poſt mortem veſtris manibus mihi paulò poſt inferendam ad Cœlum abiturus; vos autem, qui peccato aggravati eſtis, ſequi me minimè poteritis: *ſurſum aſcendere non valebitis*: Quia peccatum eſt onus graviſſimum.

*Matth. 8.*

*Chryſ. hom. in Matt.*

*Ioh.*

15. Univerſus angelorum exercitus in conſpectu divinæ majeſtatis congregatus fuit: *Venerunt Filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino;* quibus temerarius & præſumptuoſus ſathanas more ſuo ſolito ſeſe immiſcuit: *Adfuit inter eos etiam ſatan;* Et tametſi in angulo quodam malitia plenus abſconditus lateret, Deus tamen confeſtim illum vidit, & ad ſe accerſitum interrogavit, quo ex loco veniret: *Unde venis?* Ipſe autem quantumvis audax & temerarius, attamen coram tribunali ſummi Dei conſtitutum ſe videns, tremebundus reſpondit: *Circuivi terram, & perambulavi eam*, nimirum ut cunctos hominum greſſus & actus conſiderarem. Obſervate hic, obſecro, modum loquendi ſatanæ; dicit enim: *Perambulavi* quod propriè ſignificat, cautim, paulatim, & gradatim ire: *Segnem, & non celorem motum ſignificat.* Itane: dæmon adeo in progrediendo eſt tardus? I æ non, inquam, qui velocior eſt avibus & ventis, qui in uno ictu oculi ab oriente in occaſum transferre ſe poteſt, quia corpus non habet, nec medium quod illi reſiſtat: Quænam eſt hujus tarditatis cauſa? Num forte credimus eum adeo leatè proceſſiſſe ob gravitatem? videamus, nũ aliquam ex Sancti Pauli doctrina hujus habere valeamus rationem. Hic enim Apoſtolus in epiſtola quam ad Hebræos exaravit, exhortatur eoſdem, ut ab omni peccatorum genere abſtineant, hiſce verbis: *Ideoque, & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum.* Et paulò poſt ſubjungit: *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Quaſi dicere vellet: Si velociter currere volumus, neceſſum eſt ab omni ut nos peccati pondere exoneremus. Unde Cajetanus Ibidem folio 404. capite primo. *Deponenda ſunt primum pondera, quoniam impedirent curſũ.* Advertendum eſt autem, quod peccatum omne pondus appellet, quaſi quidquid ponderis in univerſo mundo reperitur, in ſolo peccato contineatur, illudque in ſe habeat omnium ponderum onera: Divus Thomas ap. Labat. tertio verb. peccatum prop. ſecunda. *Peccatum meritò appellatur omne pondus* [inquit Angelicus Doctor] *quaſi nullum aliud pondus ponderis nomine dignum ſit.* Quid mirum igitur, ſi dæmon non inſtar venti perniciter volet, ſed gradatim, & ſenſim ambulet? Ipſe etenim graviſſimum peccati ſui pondus ubique circumfert. Unde Gregorius: *Cum ſe perambulaſſe inſinuat, quanto peccati pondere in imis prematur, demonſtrat.*

*Hebr. 12.*

*Greg. in c. 2. Iob li. 2. c. 4 f 5. co. 4. l M.*

16. Sancto Joanni Evangeliſtæ horror ille & tremor revelatus fuit, quam impii habituri ſunt in die judicii, dum ſe in conſpectu cœleſtis Judicis gravitereis indignantis poſitos eſſe videbunt; hic namque tam ingens futurus eſt, ut immenſos montes, & graviſſima petrarum pondera rogaturi ſint ut ut ſuper eos collapſa illos contegant: Apoc. 6. *Dicunt montibus & petris, cadite ſuper nos, & abſcundite nos à facie ſedentis ſuper thronum.* Scio equidem quod Sanctus Thomas Doctor Angelicus per hoſce montes & petras Angelos intelligat, qui ſunt *per gloriam excelſi, & petræ per internam conſtantiam dicuntur*, illos namque impii invocabunt, ſperantes ſe in communibus afflictionibus à pietate ipſorum aliquod recepturos eſſe ſubſidium. Sed

*D. Tho. in c. 6. Apoc. fol. 172.*

hic

hîc ſenſus myſticus eſt; literaliter hunc paſſum exponamus: Quâ igitur ratione poſſibile erit, quod peccatores petras & montes ſibi incumbentes ſuſtinere poſſint? Num fortè Cyclopes ſunt vel Atlantes? Non eſt hæc illius Ratio, ſed pondus peccati, quod hactenus portarunt, adeo grave eſt, ut patræ paleæ, montes plumæ reſpectu illorum eſſe videantur. Deus juſtus Judex adverſus maledicas linguas filiorum Eliab. Dathan, & Abiron graviſſimè indignatus eſt, ſed audite mirum quo illos mulctavit, ſupplicium: hi namque

Num.16.

ſimul cum familia ſua in foribus tabernaculi ſui conſiſtebant; cum ecce terra ex improviſo ſub pedibus eorum dehiſcens eos abſorpſit demergendos in abyſſum: *Derupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit eos, cum tabernaculis ſuis, & uninerſa ſubſtantia eorum.* Poſtea verò ſacer textus ſubjungit: *Deſcenderunt vivi in infernum.* Etenim quod deorſum & in profundum præcipitati ſint, nil mirum eſſe videtur; at verò valde mirandum eſt, quod in profundum abyſſi ſinum vivi pervenerint: notum eſt enim, quod ſi quis ex altiſſima turri decidat, priuſquam in terram veniat, in aëre ſuffocaus moriatur, & hi ex altitudine quadam adeo magna, quanta eſt diſtantia à ſuperficie uſque ad centrum terræ, delabuntur, nec tamen moriuntur; Quin potius in profundo inferni etiamnum vivi reperiuntur? *Deſcenderunt vivi in infernum* Manifeſtum eſt quod *omne grave tendit deorſum*, & quanto gravitas major eſt tanto curſus aut lapſus velocior eſt & rapidior; pondus autem peccati adeo grave erat, ut tanta cum velocitate in profundum deciderint, ut ne quidem mors ad vitam iis auferendam eos aſſequi potuerit? ac proinde *deſcenderunt vivi in infernum.* Unde faci.è à poſteriori arguere licet ingentem peccat gravitatem. Vnde non immeritò Salvator peccatoribus infidelitate aggravatis dicebat: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* Verum è profundo inferni ad ſublimia cœli non elevemus.

17. Lucifer horrendo ſuperbiæ peccato ſe contaminat, fitque ſuo Principi, qui eum creaverat, refractarius & rebellis dicens: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti ſimilis ero altiſſimo.* Sed quanam pœna Deus in hunc intolerabilem ſathanæ faſtum animadvertit?

Iſa.14.

Princeps actus eſt in infernum: *Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci* Veruntamen non immeritò quærataliquis: Cur Deus Luciferum non punierit in cœlis, ſed in infernum puniendum detraxerit. Legum decreta ſtatuunt, ut delinquens in loco commiſſi delicti puniatur: juſtum itaque erat, ut qui in cœlo deliquerat, in cœlo puniretur, maximè cum ſicut fieri poteſt, ut anima paradiſo fruatur in inferno, ita quoque fieri potuiſſet, ut Lucifer infernum haberet in Cœlis: Cur igitur in abyſſum præcipitatus à Deo fuit? Doctè ad id reſpondet Ribera, Luciferum per peccatum ſuum onus quoddam adeo grave habuiſſe, ut nec Cœlum illud ſuſtinere potuerit, quantumvis ſit incorruptibilis & inalterabilis temperamenti *Solidiſſimum eſt Cælum & quaſi ære fuſum ſed ita peccato Angelorum gravatum eſt, ut ferre nequiverit: Simulque ut peccaverunt, quaſi magno pondere addito, in Tartarum detracti ſunt.* Jonas Dei tranſgreditur præceptum, dum in Niniven pœnitentiam prædicaturus abire tenuit: Navim ingreditur, & in Tharſis fugam inire molitur; grandis quædam exoritur in mari tempeſtas, Ita ut navis, qua Ionas vehebatur, in continuo eſſet naufragii periculo: naucleri quidem omnes è navi merces ad illam alleviandam ejiciunt, veruntamen navis ſemper magis magiſque pondere aggravari videbatur, adeò ut poſt amiſſam mercimoniorum ſuorum ſubſtantiam navis ſecuritati nihilominus conſulere non poſſent, Tandem verò experientia docuit (ſi Chryſoſtomo credimus] periculum hoc ſuam à peccato Ionæ trahere originem: hoc enim adeò ingenti pondere navim premebat, ut ligna eius quantumvis ſolida & fortia illud ſuſtinere non valentia neceſſariò cedere, & omnes navi rectos in mare ſubmergere cogerentur: *Nauta nondum agnita cauſa naufragii, navim aliquantulum rerum eiectione ſublevare arbitrabantur, & nihilominus navigium turbatur: apud ſe quippe ſarcinam periculo plenam retinebat, & magis magiſque Propheta corpore gravabatur, non corporis pondere, ſed peccati: nihil enim æquè grave & oneroſum invenies quam peccatum.* Et quam exiſtimatis cauſam fuiſſe, cur navis Apoſtolorũ, in qua ipſemet Dei filius erat, in continuo periculo fuerit, ne operiretur fluctibus navim ſuſque deque vertere molientibus? Fortè quis cum Paſchaſio reſpondebit, tempeſtatem hanc opus diabolicum fuiſſe: *For-*

*taſſe dæmones concitaverunt ventos adverſus e-
um, & moverunt fluctus, ne transmiſſo freto ad
eos veniret Judex*; At inquit S. Pater, dici poſ-
ſet, tempeſtatem hanc non fuiſſe turbationem
maris, ſed potius ſignum lætitiæ, qua aquæ
geſtiebant, eò quod dorſo ſuo ſuum ferrent cre-
atorem: *Legi quendam Doctorem dixiſſe quod
mare exiliens præ gaudio ſui adventum Creato-
ris vix ferre quiverit, & hinc eſſe non quod tem-
peſtas fuerit aurarum, ſed lætitiæ motus.* Vel
cum Theophylacto, quod mare fluctuaverit
ob terrorem, quo fuit correptum: *Vbi primum
mare agnovit ſe Dominum recepiſſe, ſe ſentiens in-
dignum ad ſuſtinendam tantam majeſtatem, ſta-
timque artubus contremiſcit: aquarum voragi-
nes velociter celerato curſu fugiunt, ima maris com-
moventur, & piſces magno terrore corripiuntur.*
Quidquid ſit de hiſce expoſitionibus, quas plu-
rimi probo, multos tamen eſſe ſcio, qui navis
periclitationem à gravedine peccati Judæ pro-
ceſſiſſe dicant. *Adeo grave & ponderoſum eſt pec-
catum, ut fides quæ poteſt montes transferre, hic
contra onus Judæ nequitiam non ſufficiat ad cō-
mitiam navem quin ad ima petat, & alternan-
tibus undis veluti profundum attingat.* S. Petrus
tanta levitate mari inambulabat quaſi te-
nue ab arbore decidens folium fuiſſet; mox
ut eum levis diffidentiæ cogitatio corripuit, ti-
mens ne ſubmergeretur, ſuiq; Magiſtri auxiliũ
ad ſe ſalvandum non ſufficeret, adeo ſe ag-
gravari ſenſit, ut niſi Chriſtus ei auxiliatus fu-
iſſet, in profundum maris utique fuiſſet, de-
merſus. *Petrus qui ante levis, pendulo greſſu cal-
cabat undas, poſtquam infidelitate aggravatus,
involvebatur à fluctibus, manu Domini ſublevatur.*
Ægyptii perſequebantur Hebræos, ad mare ru-
brum uſque venientes fœliciter illud, pedibus-
que ſiccis tranſierunt; Ægyptii autem Hebræ-
orum ſemitas conſectari volentes à congrega-
tis aquarum procellis omnes ſubmerſi fuēre.
Verùm obſervandus eſt delicatus loquendi mo-
dus ſacræ ſcripturæ, dicit enim ſacer textus:
*Deſcenderunt in profundum quaſi lapis, ſubmerſi
ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.*
Poſtquam verò mortui fuere Ægyptii, Iſrae-
litæ terrorium ad littus redeuntes viderunt ca-
davera ſuper aquas natantia ab undis ad littoris
margines eſſe projecta: *Viderunt AEgyptios mor-
tuos ſuper littus maris.* Mira res! vivi mer-
guntur in profundum, mortui verò inde e-
mergentes aquarum ſuperficiei innatant. Di-
cite, ſodes utrius pondus majus ſit, vivi an
mortui? ſine dubio, vel æqualiter pondera-
bunt, aut mortuus vivum in pondere excedit;
Et nihilominus omnino hic videtur contrari-
um; non tamen id mirum eſt, quia vivi ob
noxii erant ponderi peccati; ac proinde *deſcen-
derunt quaſi lapis & quaſi plumbum*: at verò
quando Iſraelitæ *Viderunt AEgyptios ſuper littus
maris*, jam à pondere peccati exonerati erant.
Eſt hic conceptus Sancti Hieronymi dicentis: D Hieron.
*AEgyptii mortui ſolis armis graves erant, vivi
autem erant peccatores graves, peccatorum au-
tem pondera multò graviora ſunt, quam ponde-
ra armorum.*

18. David omnes creaturas ad laudandum
Deum, agendasque ob recepta beneficia gra-
tias interpellat, Angelos, Solem, Lunam, Pſal 148.
Stellas, aquas, dracones, abyſſos, ignem, gran-
dines, nives, montes, colles, arbores, peco-
ra, ſerpentes, Reges, Juvenes, Virgines, &
terram, in omni tamen creaturarum ſerie non
invenio, quod ad laudandum Deum inviten-
tur peccatores: Nunquid & hi creaturæ Dei
exiſtunt? Nunquid obſtricti ſunt Deo, ut pro
acceptis beneficiis gratias agant? Sed quid
profuiſſet, illis ſi unàcum cæteris fuiſſent invi-
tati, quando peccator ut peccator ſe movere
non poteſt; *Quid enim mirabile eſt*, inquit Chryſoſt.
Chryſoſtomus, *ſi beſtiæ, pecora, ſerpentes, &
volucres pennatæ ad laudandum Deum ſunt con-
vocatæ? ſolus peccator non vocatur, quia propter
gravitatem peccati in profundo inferni reſidet.*
Bene igitur Salvator dicebat: *Quo ego vado, vos
non poteſtis venire.* Ipſe enim in cælos abibat, hi
verò ob peccatorum ſuorum ponderoſitatem
trahuntur in infernum. Quod ſi igitur pec-
catis in anima veſtra locum ceſſeritis, eundem
in vobis operabitur effectum: nam *tale ubicun-
que ponatur ſemper erit tale.* Si vixeritis in pec-
cato, *in peccato veſtro moriemini*: Siquidem
mala vita mater eſt peſſimæ mortis. Credetis
idipſum ubi aliquando experti fueritis, nec
ſupererit medendi locus vel tem-
pus. Quod à vobis a-
vertat clemens
Deus.

* *
*